

dantis, quando res non est integra: intelligitur de mandato iurisdictionis, id est, per quod committitur iurisdictioni. Nam precepta superiorum ad aliquid faciendum, vel non faciendum obligantia, si non emanent per modum constitutionis à potenti illam facere, sed sint mandata ab homine, semper expirant mandantis morte, quantum res non integra sit. Quia cum ea precepta minimè sint constitutiones, non sunt ex natura sua perpetua, nec possunt ligare extrinsecè præcipiens iurisdictione per eius obitum. Sicut excommunicationem ab homine latam fatentur omnes morte auctoritate cessare. Et ita hoc tenent Sylv. verb. delegatus quest. 6. numer. 7. & verb. mandatum quest. 3. explicans & si res non sit integra. Et alij non hoc explicantes, sed insinuatè loquentes, ut Menochius citato Deicio de arbitrar. lib. 1. quest. 69. numer. 4. Corduba citato Hugone super regula. D. Francisci cap. 10. q. 3. puncto 1. particula 3. ubi merito reprobat Petrum Pèzalis quod libeto 1. q. 21. dicentem hoc habere verum in prælatorum preceptis factis specialiter uni, vel alteri, secus de factis generaliter omnibus, vel alicui communitati. Quippe bene docet ibi Corduba omnia expirare, quoties per modum constitutionis à potenti illam facere edita non sunt, non tantum mortuo præcipiente, sed etiam eo ab officio amoto. Quia quoad hoc perinde habetur ac mortuus (ut probavi num. 32.) Cum vtroque casu extinguatur præcipiens iurisdictioni, qua præcepta vim habent.

SUMMARYM.

Gratia potest concedi absolute, vel ad beneplacitum edentis. Et quid sit gratia facta, & faciendâ. num. 48.
 Gratia concessa ad beneplacitum persone concedentis extinguitur eius morte: secus si ad beneplacitum Sedis. num. 49.
 An gratia concessa ad beneplacitum persone extinguitur eius morte, etiam in favorabilibus gradibus? num. 50.
 Quid, si iurisdictioni concessa ad beneplacitum persone sit ordinaria: vel adiungatur quoque certum tempus: ut ad beneplacitum, ad annum 1. num. 51.
 An pereat gratia sic concessa morte concedentis, donec voluero ad voluntatem meam, donec renouauro, vel donec aliud ordinaverim? num. 52.
 Quid, si concedatur, donec concedas aliquid fecerit ante mortem? num. 53.
 An iurisdictioni contentiosa concessa, donec con-

cedens renouarit, vel aliud fecerit, expirat morte concedentis re integra, sine cõcedens renouarit, nec illud fecerit: & potest etiam si res non sit integra, si concedatur ad persona beneplacitum. num. 54.
 Iurans non ludere donec pater velit, vel sine eius voluntate, an possit eomortuo ludere? num. 55.
 An finito officio concedentis expirant concessa ad eius voluntatem? num. 59.
 Quid, concedentis excommunicato, vel suspensio? num. 57.
 Quid, eo factio furiosorum? num. 58.
 An concessa ad beneplacitum dignitatù à vicario, vel legato, vel alijs non habentibus dignitatem perpetuam, expirant eorum obitu? num. 59.
 Quid, quoties concessio sit ad beneplacitum persone, & dignitatis perpetua simul? num. 60.
 An sit concessio ad beneplacitum persone, an potius dignitatis, quando explicatur nomen concessum, ut ad beneplacitum Papæ referatur quadam sententia. num. 61.
 Proponitur sententia auctoritis. num. 62.
 An sit differentia, siue dicatur ad beneplacitum meum, siue nostrum? num. 63.
 An gratia absolute concessa, siue facta sit, siue faciendâ expirat morte concedentis re integra? num. 64.
 An expirat gratia faciendâ, concessa motu proprio, morte concedentis re integra. num. 65.
 An expirat ea gratia faciendâ ipso iure? num. 66.
 Quid, si ea gratia faciendâ concessa esset sub nomine dignitatis? num. 67.
 Quid, si potestas executoris commissâ est, si accessoria gratia? num. 68.
 An gratia facta, nondum acceptata dum concedens obiit, expirat? num. 69.
 An si morte Pontificis ignorantia procedatur ad executionem gratia faciendâ, valeat gestâ? num. 70.
 An licentia audiendi confessiones expirat morte, vel amotione Episcopi. Referatur quadam sententia. num. 71.
 Explicatur sententia auctoritis: & an idem sit de eadem licentia concessa ab alijs ordinarijs, vel parochis. num. 72.
 Quid, si esset licentia audiendâ alicuius confessionis specialis? num. 73.
 Quid, de licentia ab Episcopo, aliove prælato eligendi confessoris concessa, an pereat morte eius, vel cessatione officij? Referatur opinio. num. 74.
 Explicatur sententia auctoritis. num. 75.
 Quid de licentia celebrandi in priuato oratorio? num. 67.

Quid

Quid de licentia prædicandi, aut faciendâ alias prohibita? num. 77.
 Quid de licentia non residendi? num. 78.
 Quid de facultate dispensandi? Referatur opinio? num. 79.
 Proponitur sententia auctoritis. num. 80.
 Quid, si esset facultas ad dispensandum cum persona certa, non tamen in fauorem illius, vel si sit in vtriusque fauorem? num. 81.
 Quid de facultate testandi concessa Episcopi, vel monachis? num. 82.
 Quid de dimissionibus ad ordines concessis ab Episcopo, vel capitulo sede vacante, vel à Vicario Episcopi in remouit existentis? num. 83.
 An gratia absolute concessa à legato, vel Vicario, expirat eius morte? num. 84.
 An licentia omnes superiorum durent eis mortuorum? num. 85.
 Post num. 85. inuenies cetera summaria, quæ desuperantur.

48

Questio tertia. An gratia rescripta expirat morte cõcedentis? Supponendum est, dupliciter posse gratia concedi, primo, absolute: secundo, cum limitatione, ut ad beneplacitum concedentis, eiusve dignitatis, aut donec renouarit. Insuper quædam est gratia facta alia verò faciendâ. Facta dicitur, quando perfectè conceditur ei in cuius gratiam datur, ac independenter ab alio, cui faciendâ committatur. Ut cum Pontifex, vel Episcopus dispensat omnino cum aliquo: vel quâdo omnino in fauorem dispensantur concedit illi potestatem dispensandi. Faciendâ verò est, quando non conceditur absolute ei in cuius fauorem datur, sed dependenter ab alio cui faciendâ committitur. Ut si in fauorem certæ persone cum qua dispensandum est, committatur alicui potestas dispensandi cum illa. Quod intelligendum est cum limitatione concessa, quam num. 87. ponemus.

49

Duplex ergo regula solet tradi in hac re: altera de gratia cum limitatione concessa, altera verò de concessa absolute. Prior ergo est. Quando gratia conceditur ad beneplacitum persone concedentis, extinguitur eius morte: secus si concedatur ad beneplacitum Sedis. Tunc enim est perpetua, donec à successoribus vel eodem renouetur. Ratio est, quia voluntas persone morte perit, ac subinde peribit gratia concessa dum ea voluntas durauit. At dignitas est perpetua, & eadem reputatur in successore, ac proinde idem erit de gratia ad illius

beneplacitum concessa. Hæc habetur expressè hac reddita ratione cap. si gratiosè, de rescript. in 6.

Quidâ priorè partè regulæ temperant, ut tunc gratia ad beneplacitum persone concessa expirat eius obitu, quando est gratia ambitiosa, ac proinde restringibilis, & odiosa: qualis est gratia retinendi plura beneficia usque ad Pontificis obitum. In qua materia loquitur c. si gratiosè, de rescript. in 6. vnde sentiunt aliud esse in delegationibus fauorabilibus: commissionem enim factam iurisdictionis expressim ad voluntatem delegantis dicit non extingui morte delegantis re integra. Quia in his clausula, Ad beneplacitum meum, vel donec voluero, resoluitur in clausulam, donec renouauro, ut sit conformis iuri communi: quo stante iurisdictione delegata non perit morte delegantis, re integra non existente (ut num. 30. diximus.) Sic dicit esse æquum Glossa cap. si delegatus, in verb. morte, de offic. deleg. in 6. Et tenet Baldus d. cap. si gratiosè, (prout eum refert Fracus. d. cap. si delatus num. 5.) Idem sequitur Anton. Gabriel tomo 3. eommunium, lib. 6. tit. de præbend. conclusionè 1. num. 33. Et eum textum intelligi in odiosis, & ambitiosis, docent etiam Calderinus consil. 4. num. vnicò, de rescript. Dominicus. d. cap. si gratiosè nu. 13. At verisimium est, intelligi de omnibus atque adeo potestatem illam delegatam ad concedentis beneplacitum, expirare morte concedentis, quantum res non sit integra. Constat ex ratione tradita, d. c. si gratiosè, ibi. Per obitum, per quem ipsius beneplacitum omnino extinguitur. Quæ ratio in omnibus cõcessionibus factis ad beneplacitum persone æqualiter procedit. Et ideo hanc partem sustinent Glossa d. cap. si gratiosè verb. morte, in fine. Et ibi Franciscus num. 10. & d. cap. si delegatus num. 5. & ibi Dominicus num. 10. vers. in fine glossæ. Couar. dicens oppositam sententiam esse falsam, lib. 3. var. cap. 1. q. num. 4. vers. 2.

Secundò temperatur eadè prior pars, nisi iurisdictioni concessa ad beneplacitum persone sit ordinaria. Tunc enim eam morte concedentis non perire diximus num. 5. Nec similiter peribit quæuis gratia facta ad beneplacitum concedentis, si adijciatur quoque tempus durationis determinatum. Ut si concedatur ad annum, & ad beneplacitum persone, non enim expirabit morte cõcedentis donec is annus lapsus sit. Quia est sensus, concedo ad annum, & vterius

secundum

secundum meam voluntatem. Itaque voluit concedens ut eo anno duraret gratia, & deinceps dum duraret voluntas. Ita Magalotus, quem refert, & sequitur Antonius Gabriel tomo 3. communium, lib. 6. tit. de praebeendis, conclusionem 1. num. 31. Henricus lib. 7. de indulgentiis cap. 21. num. 4. qui bene posuit exemplum huius, ut si Episcopus dicat, approbo te ad beneplacitum, ad annum.

52 Tertiò quidam intelligunt non expirare gratiam morte concedentis, si concedens dicat, donec voluero, vel donec reuocauero: quasi sentiant idem importari per vtrumque; loquendi modum. Ita Emmanuel Sa summa verb. gratia num. 7. Alij è contra sentent finiri, licet concedens dicat, donec reuocauero, vel aliter ordinauero. Ita Armilla verb. voluntas num. 1. & ibi Tabiena q. 1. num. 2. At neutra opinio placet. Quippe manifesta est differentia inter vtrumque modum. Nam donec voluero, vel quoadiu voluntas, vel ad beneplacitum meum, vel meam voluntatem, important durationem, ac perseverantiam eiusdem voluntatis, quae mortuo concedente durare nequit: ac proinde gratia sic concessa extinguitur tunc. At donec reuocauero, vel donec aliter ordinauero, important actum posituum nouae voluntatis aliter disponentis, vel gratiam reuocantis: qui actus si in vita habitus non sit, cum post mortem haberi nequeat, durabit gratia in perpetuum, donec ab alio successore reuocetur, aut ab eius superiori. Et ita tradunt Ioan. Andr. cap. si gratiosè num. 2. & 3. de rescript. in 6. & ibi Anchar. num. 6. Dominicus num. 8. Francus num. 10. idem Anchar. cap. licet vndiq; nu. 1. vers. tertiò collige de offic. deleg. Idem Dominicus cap. si delegatus nu. 10. de offic. deleg. in 6. & ibi Francus num. 4. & 5. per eum textum ferè expressè hoc decidentem. Bartolus l. centesimis 46. §. si ita stipulatus nu. 9. & 10. ff. de verb. obligat. & ibi Alexander num. 11. Imola num. 6. Iason. nu. 12. & 14. Angelus. l. & quia num. 5. ff. de iurisd. omn. iud. Idem Bart. l. more num. 17. ff. eodem tit. vbi Iason. num. 15. Curtius iunior num. 92. Zafius num. 40. Bartholomaeus Socinus num. 69. Decius num. 62. & l. 3. in fine. ff. de regul. iuris & consil. 108. num. 4. volum. 1. & cap. ex literis. in fine, de consil. vbi Felius num. 10. vers. est maius dubium & num. 9. vers. secundus casus est. Ruinus consil. 115. nu. 7. lib. 1. Angelus verb. voluntas num. 1. Tabiena verb. gratia, in fine: & ibi Armilla in fine. Nauar. lib. 5. consil. tit. de privilegijs, in 1. editione, consil. 2. num. vnico, in 2. consil. 3. num. vnico. Couar. 3. var. cap. 15. nu. 3. Menochius alios allegans de arbitri. lib. 1. q. 69. num. 2. & num. 12. & sequentibus. Antonius Gabriel tomo 3. communium, lib. 2. tit. de procurator. conclusionem 2. in fine. Et lib. 6. tit. de praebeendis, conclusionem 1. num. 2. 4.

Atque idem dicendum est, si gratia concedatur donec concedens aliquid fecerit, ut ingressus fuerit Romam, si enim dum superstes fuit id non fecit, non extinguitur gratia morte, sed manet perpetua. Quippe post obitum nequit iam illud efficere. Ita Ioan. Andr. cap. si gratiosè nu. 3. de rescript. in 6. & ibi Dominicus nu. 9. Fracius nu. 10.

Maximè tamen aduertendum est, iurisdictionem contentiosam delegatam donec concedens reuocauerit, aliudve fecerit, expirare morte concedentis re integra: secus si non erat integra. Itaque perinde dicendum est de illa, ac si absolute absque illo addito concessa esset. Quia id additum non immutat huius iurisdictionis naturam. Et constat ex cap. si delegatus, de offic. deleg. in 6. vbi textus ponderat rem non fuisse integram, ne potestas haec concessa donec reuocetur, pereat sic concedentis morte. Et ita docent Dominicus ibi nu. 10. Francus num. 4. Iason. l. more nu. 15. ff. de iurisd. omn. iud. & ibi Curtius iunior nu. 92. Carolus Molinæus addit. ad Decium l. 3. in fine ff. de regul. iuris. Couar. 3. var. cap. 15. num. 4. vers. primum. Quauis Decius, d. l. more nu. 62. immerito de hoc dubitauerit. Sed obieciens id additum esse frustraneum. Respondeo deseruire ut liberius possit ea iurisdictione reuocari. At verò quoad durationem nulla erit differentia, sed siue eo addito adiecit, siue non, peribit re integra morte delegatis: secus re non integra. Maximè tamen esset discretio inter id additum, & si adderetur, donec concedens voluerit, vel ad eius beneplacitum. Quia in priori casu, non extinguitur delegatio per cessationem voluntatis delegatis, quae morte eius contingit: sed solum id attenditur, sit res integra, necne, perinde ac si nil adiectum foret. At in posteriori, cessabit delegatio morte delegantis, quauis res non sit integra (vt n. 50. diximus). Quod ea commissio fuerit ad tempus, nempe, dum perseverauerit delegantis voluntas: quae eius morte cessat.

55 Ex his deducitur, iuramentum se non lusurum donec pater velit, vel absque patris voluntate, posse patre mortuo ludere. Quod iam patris voluntas cessat. Sic citatis Vbertino, & Alberico docet Greg. Lopez. l. 45. vers. non le finca, tit. 4. p. 5.

56 Sicur autem concessio gratiae facta ad concedentis beneplacitum, expirat, eius morte, ita finito officio ratione cuius potuit concedere. Quia dicta verba intelligi debent, donec concedens permanens in officio velit. Secundo, quia causa referenda sibi voluntas erat officii. Ergo finito officio finitur voluntas argumento: ex l. non solum. §. finali. ff. de noui oper. nunciat. vbi nunciatio finitur cessante dominio rei, quod eius causa erat, et si persona superstes sit. Et l. Lucius, l. 1. cum l. sequenti. ff. de fideicommissis, vbi arbitrium concessum alicui vel heredi cessat quando desinit esse haeres. Et confirmatur, quia cum reuocare sit actus iurisdictionis. Iudicium soluitur. ff. de iudicijs, & docet Glossa ab omnibus recepta cap. si delegatus verb. reuocandas, de offic. deleg. in 6. & finito officio careat concedens iurisdictione, frustra voluntas ad id tempus protraheretur. Et idè ita docent Bartol. l. centesimis 46. §. si ita stipulatus num. 11. ff. de verb. oblig. & ibi Alex. num. 12. Iason. num. 5. Francus citatis Federico, & Baldo cap. si gratiosè nu. 11. de rescript. in 6. Curtius iunior. l. more num. 88. ff. de iurisd. omn. iud. Quare non est credendum Dominico. d. cap. si gratiosè n. 13. asserenti oppositum posse dici: vel posse distinguui cum Calderino consil. 3. nu. vnico, de rescript. vt in odiosis procedat hoc: secus in gratijs fauorabilibus. At hoc reprobauimus num.

57 Non tamen expirant concessa ad concedentis voluntatem illo excommunicato. Quod est pro tunc nequeat officio fungi, eius tamen voluntas durat. Sicut etià quauis iurisdictione delegata pereat delegantis morte, non tamè eius excommunicatione. Ita Bart. l. centesimis 46. §. si ita stipulatus num. 12. ff. de verb. oblig. & ibi Alex. num. vltimo, Iason. num. 16. Francus cap. si gratiosè nu. 12. de rescript. in 6. vbi bene id dicit nec cessare per concedentis suspensionem. Quia est eadem ratio.

58 An verò cesset haec voluntas per concedentis furorem, ac subinde cessent concessa ad eius voluntatem, non constat inter Doctores. Nam cessare asserit Bart. num. praecedenti allegatus. At melius id negat

Couar. 3. var. cap. 15. num. 4. vers. 3. Idque probat ex c. maiores. §. finali, de baptism. & l. si quis animo. ff. de acquir. possess. vbi inter mortem & furorem ea statuitur differentia, vt morte cesset voluntas, non autem furore.

59 Altera pars prioris regulae num. 49. tradita nempe, vt concessa ad dignitatis beneplacitum non expirat morte concedentis, intelligitur quando dignitas est perpetua, ac successorum habens. Quare si Legatus Pontificis, vel Vicarius Episcopi concedat aliquod ad suae dignitatis beneplacitum, extinguitur eius de functionis officij ve cessatione. Quod cesset in his ratio tradita cap. si gratiosè, de rescript. in 6. nempe, dignitatem non perire. Horum enim dignitatem perire probauit disp. praecedenti nu. 8. 10. & 11. Et ita docent Francus eo cap. si gratiosè num. 13. Felinus cap. ex literis nu. 10. vers. & secundum praedicta, de consil. reprehendens quosdam viros graues, qui Ferrariae dum ipse literis vacaret, agitata hac quaestione oppositum sensere de quadam concessione sic facta per legatum.

60 Sed restat discutiendum, quid quando concessio fieret ad beneplacitum personae, & dignitatis, quae perpetua est? De qua re textus cap. si gratiosè, de rescript. in 6. nil decidit. At Doctores variè loquuntur. Quidam censent praeponderare dignitatem: & sic eam concessione minime extingui concedentis morte. Sicut in simili quaestione alios id sentire retuli disp. praecedenti nu. 17. Sic Ioan. Andr. d. cap. si gratiosè nu. 6. in fine. Alijs verò placet, nomen, quod praecedat praeponderare: & ita non perire, si praecedat nomen dignitatis, vt ad beneplacitum Sedis, & nostrum: secus praecedenti nomine personae, vt ad beneplacitum nostrum, & Sedis. Sicut in simili quaestione quosdam distinguere, retuli eisdem disp. praecedenti nu. 18. Sic tenet Imola. d. cap. si gratiosè (vt eum referunt Dominicus ibi num. 16. & Francus in fine. Alij sic distinguunt. Aut exprimitur vtrumque nomen alternatiue, vt ad beneplacitum nostrum, vel Sedis: & tunc expirat concessio morte concedentis. Quod in alternatiuis sufficiat alteram partem impleti: regula in alternatiuis, de regul. iuris, in 6. Aut copulatiue, vt ad beneplacitum nostrum, & Sedis, & tunc aut expressio fit in materia, quae consuevit in successorum transire, vt in officijs, quae non expirant Pontificis morte: & tunc non expirat. Aut in materia, quae non consuevit transire, vel

est in differens: & tunc si gratia sit proprio motu concessa, non expirat propter amplificationem eius interpretationem faciendam. Si autem non sit proprio motu concessa, attendendum est utrum ex eis nominibus precedat. Sicut distincti secundum opinionem nuper recitata. Sic Dominicus eo. c. si gratiosè nu. 16. vers. possit in hac materia. At Francus ibi, sine, relatis his sententijs nil definit, sed remittit ad notata cap. quoniam Abbas, de offic. deleg. At existimo omnes has esse opiniones probabiles: ultima autem Dominici præ cæteris placet.

61 Sed rogabis, an dicatur concessio facta ad beneplacitum personæ, quando fit mentio solius nominis dignitatis, non in abstracto, ut ad beneplacitum Sedis, vel potestatis, sed in concreto, ut ad Romani Pontificis beneplacitum, Papæ, vel Episcopi? Quibusdam placet, in dubio ubi alia coniectura non vrgerit, referri ea verba ad personam voluntatem, & ita concessione perire concedentis morte. Ducitur ex cap. si gratiosè, de rescript. in 6. ubi expressè deciditur concessione à Romano Pontifice factam ad suæ voluntatis beneplacitum perire eius morte. Præterea quia cum voluntas magis proprie conveniat personæ dignitate prædictæ, quam ipsimet dignitati incorporatæ: rationi consonat ut actus directus in Pontificis voluntatē, potius ad personam, quam Sedis ipsius voluntatem referatur. Pro hac sententia est Glossa cap. literis verb. cum factū, de rescript. ubi ait esse mādātū personale, ubi dicitur, ad mandatum Papæ & d. c. si gratiosè verb. suæ, ubi quod dicit textus, vsq; ad suæ voluntatis beneplacitum, explicat, suæ idest, Romani Pontificis. Pro eadē est Decius cap. sedes, statim in principio, de rescript. ait enim quod ibi dicitur de Sede Apostolica idem esse in summo Pontifice, quāvis aliā differentia cōsultatur: v. d. c. si gratiosè. Et hanc partem tenent expressè Anchar. eo. c. si gratiosè nu. 4. & ibi Francus nu. 7. Marianus Socinus iunior cōsil. 89. nu. 7. vol. 1. Conar. 3. var. c. 15. nu. 2.

62 Cæterum licet hoc sit satis probabile, plūs mihi placet ea nomina referri ad dignitatem. Cum sint propria officij, & dignitatis nomina. Deinde quia commissio facta sub nomine cōcreto officij, ut Episcopo Cordubensi censetur facta dignitati, iuxta omnes. Cur ergo commissio facta ad beneplacitū Episcopi, non potius ad dignitatem pertinebit? Si quidē videtur eadē ratio. Nec proderit dicere beneplacitū po-

ius attribui personæ, quā dignitati. Quia similiter dicā executionē commissiois nō ad dignitatem in abstracto, sed ad personā illa affectā pertinere. Et idē pro hac sententiā sunt Ioan. And. c. literis, in fine, de rescript. & ibi Anton. ad finē. Abb. sine Imola sine, Bellemera sine, ubi dicunt clausulam, ad mandatum Papæ, referri ad dignitatem. Pro eadē est Felinus c. ex literis nu. 9. vers. sed pro vtili, de constitut. ubi ait concessione esse perpetuam, quando sub nomine officij, vel dignitatis cōcedentis fit. Et tenent expressè Ioan. And. d. c. si gratiosè, in nu. 5. de rescript. in 6. Et ibi Dominicus citato Lapo num. 11. & cap. ne aliqui num. 1. notabili. de hæret. in 6. Beroius cap. quoniam Abbas num. 90. de offic. deleg.

63 Nullatenus tamen est admittendū quod dicit Emmanuel Sa summa verb. gratia nu. 7. ubi discrimen constituit inter verba Pontificis dicentis, ad beneplacitum meum, vel ad beneplacitum nostrum cōcedimus: ut sit certū gratiam expirare morte Papæ, quando dixit, ad beneplacitum meū: cum tamen si anceps, quando dixit, ad beneplacitum nostrum: quibusdam expirare afferentibus, alijs autem negantibus: & remittit se ad verbē delegatus, ubi num. 3. ait tūc non expirare. Sed eius distinctionis fundamentum me latet. Quia loco pronominis, ego, & meum, personam in dignitate constitutam solent dicere, nos, nostrum. Præterea quia hæc pronomina, meum, tuum, suum, nostrum, concernūt in dubio personam. Ut allegatis Lapo, Lignauo, & Martheo, tradunt Dominicus cap. si gratiosè nu. 11. sine, de rescript. in 6. & ibi Francus nu. 7. ubi etiam dicit cum Anchar. ibi num. 4. ad beneplacitum nostrum referri ad personam, ac Pontifice dicente, referamus nobis, esse reservationem personale. Ex quo bene insert Anchar. cum Archidiacono ibi nu. 2. si Pontifex suæ collationi aliquæ beneficia referuet, esse reservationem personalem: eiusq; obitu extingui: secus si referuet Sedi Apostolicæ. Et Ioan. And. cap. literis, sine, de rescript. & ibi Anton. ad finem, Abbas sine, Imola sine, Bellemera sine, aiunt dicenti Pontifice, ad mandatum nostrum, esse personale. Et Glossa d. c. cap. si gratiosè verb. suæ, ait per clausulam, nisi per nos, non intelligi dignitatem, sed personam. Et probat ex cap. literis, de rescript. ibi. Nisi pro alio fuisset per nos. Vbi Ioannes Andreas numer. 3. ait ea verba intelligi de scribentis persona, non

de dignitate. Et alios retuli numero 46. idem dicentes. Et Tabiena verb. gratia, in fine, & ibi Armilla in fine, dicunt concessione factam his verbis, quo vsq; nobis placuerit, expirare cōcedentis obitu, tanquam verè personalem. Et Suarez de penitentia, disput. 27. sectione 4. num. 9. expressè dicit concessa his verbis, ad beneplacitum nostrū, expirare cōcedentis morte.

64 Posterior regula est. Quando gratia conceditur absolute absq; vlla temporis limitatione, si est gratia facta non expirat morte concedentis etiam re integra. Si verò sit gratia faciendā, perit morte concedentis re integra: secus si res non esset integra. (Quando sit gratia facta, & quando faciendā, explicui num. 48.) Hæc regula colligitur expressè ex cap. si cui nulla, de præbend. in 6. ubi deciditur facultatem alicui concessam conferendi beneficia, minime expirare obitu concedentis etiam re integra. Secus si detur potestas conferendi personis expressis, non in gratiā, & fauorem collaturi, sed in gratiam eorū, quibus beneficia conferenda sunt. Ea enim facultas expirabit morte concedentis re integra. Vbi Glossa notabiliter reddit rationem ex textu deductam, quod in priori casu erat gratia facta: erat enim omnino perfecta, & nullius executione indigena respectu illius, in cuius fauorem concessa est, nempe, respectu collaturæ beneficii: at in posteriori, nō erat gratia facta, sed faciendā, Mādabat enim fieri in cuius fauorē cōceditur: & idē habet vim commissiois, & mandati, quod perit morte mādatis re integra. Atq; idē ex eo textu colligitur hanc regulam Glossa ibi, notabili 1. & verb. moriatur, & ibi Archidiaconus, verb. secus faciendā. Anchar. c. si suer gratia nu. 1. de offic. deleg. in 6. Baldus. l. finali, in 1. lectura nu. 3. vers. sed pone Principes. ff. de constitut. Princip. Decius cap. relatum, in noua editione num. 21. de offic. deleg. & rubrica de constitutione. in 1. lectura num. 41. & ibi Ripa num. 50. Riminaldus num. 129. sine, & 130. Beroius cap. quoniam Abbas nu. 12. de offic. deleg. Hieronymus Paulus practica cancellariæ tit. declaratoria super proponente, seu vouente vers. præstantissime Doctor. Rebusfus in concordatis, rubrica de mandatis apostolicis. §. 1. verb. sui pontificatus vers. licet quidam Doctores. Rossella verb. gratia, initio, ubi Sylu. q. 2. Nauar. summa Gratiana noua cap. 27. num. 253. vers. 9. & lib. 1. cōsil. in 2. editione tit. de offic. deleg. cō-

65 sil. 2. nu. 1. & in 1. editione, lib. 5. tit. de privileg. consil. 1. num. 1. Gutierrez. q. caon lib. 1. cap. 15. num. 24. Gaeta cap. ad limina 30. q. 1. §. 5. q. 106. nu. 312. Sayro thesaurus casuum, tomo 1. lib. 7. c. 14. num. 6. Quare minūs bene Felin. cap. licet vndiq; num. 14. vers. primo casu, de offic. deleg. ait concessione gratiæ, & privilegij simpliciter factam non expirare, si ante Pontificis obitū sit ceptum uti privilegio: quasi contrariū sentiat, si nondum ceptum sit, sed res sit integra.

66 Intelligenda est autem regula, quanuis proprio motu mander Pontifex prouideri certæ personæ, in fauorem eius: expirat enim tanquam gratia faciendā, si moriatur Pontifex re integra. Quia textus cap. si cui nulla, de præbend. in 6. loquitur indistinctè. Et ratio cui innititur procedit in hoc casu. Sic docent Ioan. And. ibi, ad finem, Domin. num. 6. vers. quid si Papa scribit. Francus num. 2. notabili 4.

67 Secundò intelligitur, ut gratia faciendā expirer ipso iure morte concedentis re integra. Ut de potestate delegata probaui num. 40.

68 Tertio intelligitur, nisi gratia faciendā concessa esset sub nomine dignitatis concedentis: tūc enim non peribit morte concedentis etiam re integra. Ut de potestate delegata probaui num. 44. Atq; idem dicendum est, quando gratia faciendā concessa esset ad beneplacitū Sedis. Quia concessio huiusmodi non perit morte concedentis re integra. Ut probaui nu. 49. Cum sedes illa non moriatur.

69 Quarto intelligenda est, nisi potestas executoris, cui commissio facta est, sit accessoria gratiæ iam factæ. Tunc enim non expirat morte concedentis re integra. Ut probaui num. 43.

70 Quinto intelligitur, quāuis gratia facta nondum tempore mortis concedentis acceptata esset (ut nu. 43. probaui.) Quid autē si tūc non essent literæ expeditæ: dicemus tota disp. sequenti.

71 Quid autem dicendum sit, si morte Pontificis ignorata, procedatur ad executionem gratiæ faciendæ, quæ morte ipsius perierat? Dixi lib. 3. disp. 22. num. 55. & 59.

Ex his deducitur primò, quid dicendum sit de licentia delegata audiendi cōfessiones, an expiret morte Episcopi, aut eius amissionē cōcedentis? Quibusdam placet eam expirare. Duceuntur, quòd hæc sit potestas delegata ad exercendā iurisdictionis & res

lit integra quoad omnes eas personas quarum confessiones non exceptae sunt audiri. At potest et iurisdictionis delegatam fini morte concedentis re integra, diximus num. 30. Quod si dicas id intelligi quando est contentiosa: scilicet quando est in solo conscientiae foro. Fortissimè obstat, quia idè contentiosa perit morte delegatis re integra, quia delegatus nò habet iure proprio, ac in se ipso radicata iurisdictionem ante eius usum, sed ea est in delegato, atque censetur una, & eadem cum delegati potestare. Cùm ergo per mortem delegantis cesset eius potestas, cessabit quoque in delegato, qui nondum ea uti cœperat. Quae ratio omnino militat in potestate iurisdictionali fori conscientiae. Et confirmatur, quia quavis iurisdictioni Vicarij sit ordinaria, expirat morte Episcopi, eò quòd sit ab ipso participata. Ergo à fortiori cessabit licentia delegata audiendi confessiones. Quippe hi confessarij sunt quasi Vicarij quidam speciales Episcopi. Secundò, quia duratio huiusmodi confessiones sit in poenitentij fauorem, Tertio, quia cap. si super gratia, de officio, delegat. in 6. & cap. si cui nulla, de præbend. in 6. ex quibus probatur gratiam factam non perire concedentis morte, agunt de gratia à Papa concessis, in quibus id videtur speciale. Quòd ob summam potestatem, qua gaudet, possit faciliùs perpetua privilegia concedere. Et confirmatur, quia cùm in Papa resideat suprema potestas communicandae huius iurisdictionis tam ordinariae, quam delegatae, potest præscribere ut plùs, vel minus duret potestas delegata, eò vel maxime, quòd possit derogare iuri statuèti potestatem delegatam perire morte concedentis re integra. At cùm Episcopus non sit supremus pastor, nequit eam modum in hac delegatione statuere, nec iuri derogare, nec oves suas alteri committere, nisi pro tempore, quo ipse fuerit pastor. Tandem quia hæc videtur gratia faciendae. Cùm audire confessiones non committat Episcopus in ipsius confessarij fauorem, sed ut omnium salutari consulat, prout ex officio tenetur. Peribit ergo morte concedentis re integra, iuxta regulam de gratia faciendae traditam nu. 64. Et idè hanc sententiam sustinet loquens de licentia hac ab Episcopo concessa, Palud. 4. 17. q. 4. art. ultimo, conclusione 7. nu. 25. D. Antonin. 3. p. tit. 17. cap. 9. sine. Navar. summa Hispana cap. 27. nu. 264. Solam excipiens quando nomine dignitatis delegantis concessa

esset. Et idem asserit de hac licentia quantum ad Pontificem concessa sit Philarcus de officio Sacerdotis, tomo 1. p. 2. lib. 2. c. 24. ad finem. Pro eadem sententia sunt Doctores, quos num. 74. referam asserentes licentiam eligendi confessoris ab Episcopo concessam expirare morte concedentis. Quia eadem videtur ratio.

Cæterum quantum ad hæc sententia sit satis probabilis: at probabilius reputo eam licentiam non expirare siue concessa sit ab Episcopo, siue à quouis alio ordinario potestati concedere. Ducor, quia omnia iura decidentia potestatem iurisdictionis delegatae perire morte delegantis re integra, agunt de potestate contentiosa, qualis non est hæc. Illa enim non computatur inter gratias, sed inter iustitiae literas: hæc autem inter gratias. Quare eius duratio non est merita iuxta literarum iustitiae naturam, sed iuxta gratiarum naturam, quæ si gratie factæ sunt, non expirant concedentis obitu. Et confirmatur, quia etsi licentia audiendi confessiones sit in poenitentij fauorem, computatur merito inter gratias factas. Quia eòdem non cœdatur respectu personæ determinatæ, in peculiarem illius fauorem, ad ipsiusve petitionem, reputatur potius gratia facta ipsismet Sacerdotibus, ut potest, quæ in maximum eorù fauorem redundat, & statim ac ipsis conceditur, est perfectè concessa à nulliusque executione dependens. Quæ gratia facta definitio est (ut diximus num. 48.) At gratia facta non expirat concedentis morte, etsi res integra sit (ut num. 49. probauimus.) Hac enim ratione dicimus num. 80. potestatem dispensandi cum personis incertis non extinguatur morte concedentis re integra. Quod communis ferè omnium sententia admittit (ut ibi videbimus). Tandem quia ita ipsa praxis restatur. Quippe mortuo episcopo solent confessarij quicunque ab ipso expositi audire confessiones, donec licentia à capitulo, aut ab Episcopo successore reuocetur. Nec obstant argumenta contraria nra. præcedenti adducta. Non primum, quia id procedit in iurisdictione delegata contentiosa. Ad replicam respondetur non esse eam rationem omnino adæquatam, sed supposita decisione iuris disponentis iurisdictionem delegatam contentiosam expirare morte concedentis re integra: tradunt Doctores eam congruentiæ rationem. Quare applicari non debet ijs rebus, in quibus est contraria iuris dispositio. Ut contingit in gra-

tis iam factis, inter quas computatur licentia audiendi confessiones. Vel secundo potest dici in his gratijs eum à tempore confessionis sine iam omnino factæ, transferri ex tunc efficaciter potestatem in delegatum. Ad confirm. dic. Episcopum & Vicarij constituitur vni, & idem tribunal, & ita re etiam non integra perire Vicarij potestatem Episcopo mortuo. Quod nullus asseret de confessore delegato quoad confessiones antea acceptas. Ad secundum dic id non obflare. Quia potest successor sibi prospicere reuocando licentias audiendi confessiones à prædecessore concessas. Ad tertium dic ex rationis similitudine eos textus trahi quoque ad gratias ab alijs inferioribus concessas. Quòd gratia exempli solius quod regula non arctat, dicitur in eis de gratijs ab Apostolica Sede concessis. Nec ij textus innuntur supremæ Pontificis potestati: sed eò quod iam gratia illæ effecta sint. Ad confirm. dic id iure concessum esse Episcopo, eò ipso quod ius statuit gratias factas non perire concedentis morte. Et hæc licentia computatur inter gratias factas. Ad vltimum constat ex dictis. Cùm enim non sit ea licentia in aliquibus priuati poenitentis concessa, reputatur inter gratias factas. Et idè hanc partem sustinent loquendo de licentia ab Episcopo concessa fratribus mendicantibus audiendi confessionis, Cardinalis clem. dudum. verb. ac deinde. n. 2. notab. 5. de sepult. & ibi Bonifac. verb. etiam. 6. & colligitur ex Glossa ibi. verb. cœcesserint, dicitur autem licentia eis concessam nò posse ab eodem reuocari: prout colligit id sequens. Navar. cap. placuit. n. 163. de poenit. d. 6. & apologia ad librum de redditibus. q. 3. monito. 8. n. 1. Et loquentes de licentia concessa ab Episcopo cuiusque confessario docent Henriquez lib. 6. de poenit. c. 6. n. 7. & lib. 7. de indulg. c. 2. nu. 6. Humada. 2. tit. 4. p. 1. glossa. 1. n. 2. Et loquentes in genere de licentia audiendi confessiones tenent Sayro thesauro casuum, tomo 1. lib. 7. c. 14. nu. 7. Grassi. 1. p. decisionum, lib. 1. c. 3. nu. 49. Et loquens de licentia aliam concessa, ut à referuatis absoluat, tenet id Emmanuel Sa summa verb. gratia. nu. 4. Et eandem sententiam tenet tanquam certam de licentia audiendi confessiones à Pontifice concessa Suarez de poenitentia, disp. 26. sectione 3. nu. 5. & statim nu. 9. dicit idem esse satis probabile de licentia hac ab Episcopo concessa: quia n. 12. non audeat id affirmare. de licentia hac à parochio concessa: sed ait con-

sulendam esse consuetudinem. Quia videtur hoc pendere ex tacita, aut expressa Episcopi voluntate. Sed ego ex illimo casu, quo parochus possit dare eam licentiam, non expirare morte concedentis. Quia est gratia facta, ac proinde eius natura sequitur. Pro eadem sententia sunt Doctores, quos nu. 75. referam, dicentes licentiam eligendi confessarij à quouis prelato concessam non expirare cœcedentis morte. Quia hæc duæ concessiones ad eundem finem tendunt, & in re eundem effectum habent: & potius deberet expirare hæc licentia poenitentij data, quam illa confessori concessa. Quia in illa cùm obit Episcopus, est iam iurisdictioni Sacerdoti concessa: in hac naturam minimè, sed datur, cùm virtute illius electus fuerit confessor. At facilius permanet quod datum iam est. Pro eadem sententia sunt Doctores, quos num. 80. referam dicentes potestatem dispensandi cum personis indeterminatis minimè perire morte concedentis re integra. Cùm vtraque facultas sit ad exercendam iurisdictionem.

Quando tamen licentia esset concessa Sacerdoti audiendi confessiones poenitentis determinati, in illius poenitentis fauorem, expiraret facultas morte cœcedentis re integra, id est, quoad confessionem nondum antea ceptam. Quia cùm illa gratia sit in illius poenitentis fauorem, & nondum sit perfecta, sed per confessarium exequenda, non habet gratie factæ rationem, sed faciendae. Quam morte concedentis re integra expirare diximus nu. 64. Et ita tenet Gaeta. c. ad limina. 30. q. 1. §. 5. q. 106. n. 3. 12. Et idem aperte colligitur ex Doctoribus, quos nu. 81. referam asserentes facultatem dispensandi cum determinata persona, in illius fauorem, expirare morte concedentis re integra.

Secundò deducitur, quid dicendum sit de licentia concessa ab Episcopo, vel alio prelato eligendi confessarij, an ea expirat mortuo concedente, vel eo amoto ab officio? Affirmant aliqui expirare, nisi Episcopus præmissa causa cognitione, ac consentienti capitulo eam licentiam concederet. Ductur, quod nequeat Episcopus in Ecclesiæ parochialis præiudicium, absque cause cognitione, & capituli consensu has licentias concedere. Secundò, quia sententia, qua excommunicantur omnes furui admittentes, perit profertentis morte. Vt docet Glossa ab omnibus recepta. c. à nobis, el. 1. de sentent. excóm. & inhibitio artis exercendæ expirat in hibetis morte. l. final. ff. de poenit. Ter-

tid, potest probari, quia hæc licentia virtute continet delegationem iurisdictionis exercenda. quæ cessat obitu delegantis re integra. Tandem, quia ea iurisdictione nõ datur sacerdoti eligendo, donec actu eligatur: vt de se constat. Sape enim continget eum Sacerdotem nondum natum esse, vel non esse Sacerdotem, cum licentia cõcessa est. At quando eligitur, nequit iurisdictione ei dari ab Episcopo mortuo. Nec datur etiam à penitente, quia saepe est laicus, vel mulier: nec successor in dignitate eam concedit: vt constat. Hanc sententiam tenent Abbas cap. finali. num. 9. fine, de offic. legari. Iacobinus. l. more in 2. lectura. nu. 15. ff. de iurisd. omn. iudic. Rolandus consil. 38. num. 12. volum. 3. Angelus verb. indulgentia. num. 7. & ibi Syluest. quaest. 5. dicto 7. num. 16. & verb. confessor. 1. q. 7. Corduba in quaestionario. lib. 5. quaest. 3. paulo post principium. Philarcus de officio Sacerdotis, tomo 1. p. 2. lib. 2. cap. 24. fin. Pro eadem sententia faciunt Doctores allegati. num. 71. dicentes licentiam audiendi confessiones expirare morte cõcedentis. Imò Felinus cap. licet vndiq. num. 1. ad finem, de offic. deleg. absolute docet licentiam eligendi confessarii concessam ab Episcopo perire eius obitu. Limitant aliqui ex his autoribus, nisi licentia hæc cõcessa sit ad Sedes Episcopalis beneplacitum: tunc enim censent eam esse perpetuam. Sic Angelus. verb. confessor. 3. num. 25. Syluest. verb. confessor. 1. quaest. 7. Tabiena. verb. absolutio. 1. q. 37. num. 61. Similiter concedit aliqui ex his hanc licentiam concessam à Pontifice non expirare eius morte. Ita Angelus. verb. indulgentia. nu. 7. Syluest. ibi. q. 5. dict. 7. Corduba proximè allegatus.

75 At verius est, hanc licentiam concessam à quouis potente iure ordinario eam concedere, non expirare morte concedentis etiam re integra, vel amotione ab officio. Ducor, quia hæc facultas non tanquam delegatio, sed tanquam gratia facta, est censenda. Quod etiam Doctores contrarij faciunt. Nam alijs etiam concessa à Papa, vel ab Episcopo cum capituli cõsensu perire morte concedentis re integra. Erratio est, quia in hoc casu non datur directè facultas confessorij: sicut contingit, quando datur illi licentia audiendi confessiones. Sed tota gratia conceditur directè penitenti, & per quandam consequentiam, ac indirecè confessori electo. Atq; adeo statim ac concessa est, censetur gratia abso-

luta, & perfectè facta respectu penitentis, cui id privilegium conceditur. Et confirmatur, quia nulla ratione probatur nõ posse has licentias concedi ab Episcopo, absque capituli consensu. Et ipsimet Doctores aduersarij sibi contradicunt: nam concedunt eam licentiam ab Episcopo nomine Sedis concessam, esse perpetuam. Si ergo nomine Sedis potest dare perpetuam: cur non poterit absolute? Cum vtroque casu idem generetur Ecclesie parochialis præiudicium. Adde id præiudicium modicè cõsiderationis esse: & posse eam licentiam à successore reuocari. Nec obstant adducta num. precedenti in contrarium. Nam ad primũ responderetur negando id non posse Episcopum. Ad secundũ dicẽ excommunicationem esse sententiam pœnalem, & cõtinerẽ præceptam: & similiter aliud præceptum esse inhibitorium, & pœnale. At hæc licentia est gratia. Ad tertiuẽ dicẽ eam iurisdictionem non esse contentiosam, sed in foro conscientie: Quam non expirare dixi num. 72. Ad vltimum dicẽ eam iurisdictionem dari à cõcedente licentiam, cuius virtus manet moraliter in ipso privilegio, seu gratia ita concessis. Et ratio est, quia concedens facultatem hanc, ex tunc transfert iurisdictionem in alium, quantum est ex efficacia voluntatis, quam tunc habet, quando non retrahatur ab ipso, vel successore, sufficit absque noua voluntate: & sola applicatio quasi materialis ad talem personam deest, quæ sufficienter fieri potest virtute privilegij permanentis. Et ideo hanc sententiam sustinent loquentes de hac licentia concessa ab Episcopo, siue à parochio, siue à quouis ordinario, qui eam conferre potest, Nauarrus cap. placuit. num. 162. & seqq. de pœnit. d. 6. Manuel. q. regularibus, tomo 2. quaest. 46. art. 8. Et Henriquez loquens de hac licentia concessa ab Episcopo, vel parato regulari, lib. 7. de indulgentijs cap. 23. nu. 6. & absolute loquens de licentia eligendi confessoris tenent Gaeta cap. ad limina. 30. quaest. 1. §. 5. quaest. 106. nu. 312. Salzedo addit. ad practicam Bernardi. Diaz. cap. 26. col. 19. immediate ante verb. tribus tamen casibus. Suarez de pœnitentia, disput. 27. sectione 4. num. 8. & 9. Sayro tractatus de Sacram. pœnitent. c. 22. n. 3. Emmanuel Sa summa. verb. gratia. nu. 4. Pro eadẽ sententia sunt Doctores num. 72. relati, dicentes licentiam audiendi confessiones non expirare concedentis obitu.

Tertio

76 Tertio deducitur, licentiam concessam ab Episcopo ad celebrandum in priuato oratorio, nõ perire cõcedentis morte. Quod sit gratia facta. Sic relata Rota decisione sustinent Nauarr. cap. placuit. num. 163. de pœnit. d. 6. & 5. in Leuiticum, notabili 3. r. num. 2. 6. Salzedo, Suarez, Sayro. nu. precedenti allegati.

77 Quarto deducitur, nec licentiam faciendi alijs prohibita, vt edendi carnes diebus vetitis, non ieiunandi, expirare morte cõcedentis. Quia est gratia facta. Sic Nauarr. lib. 5. cõs. tit. de privilegijs, in 1. editione, conf. 15. fine, in 2. cõs. 6. fine. Nec similiter perit licentia prædicandi. Propter eadem rationem. Sic Sayro thesauro casuum, tomo 1. lib. 7. cap. 14. num. 7.

78 Quinto deducitur, quid dicendum sit de licentia nõ residendi cõcessa ab Episcopo. Quidam eam expirare morte Episcopi censent. Quod Ecclesie præiudicet. Ita videtur sentire Glossa. c. penult. verb. licentia, de cleric. non resid. Et si statim innuat cõtarij, & videatur se declarare dicẽs posse à successore reuocari. Et tenet expresse Anton. ibi. nu. 7. cũ hac limitatione, si Ecclesie præiudicet. Alij sic distinguunt. Si præmissis causis cognitione, ac capitulo cõsentiente concedat Episcopus hanc licentiam, non expirat: secus si hæc deficient. Ita sentiunt Iacobini. l. more, in 2. lectura. nu. 14. ff. de iurisd. omn. iud. Angelus. verb. indulgentia. nu. 7. & ibi Syluest. q. 5. d. 7. nu. 16. At multo verius est nõ expirare. Quia est gratia facta. Et ita docere videtur Glossa. c. cum ex eo. verb. septennium, de elect. in 6. dicens, nõ posse Episcopũ licentiam non residendi cõcessam ratione studij reuocare sine causa. Si enim nequit ipse reuocare, à fortiori nec eius morte reuocabitur. Et ita tenent Abbas. d. c. penult. nu. 9. & ibi Cardin. n. 1. q. 4. fin. Imola ad fin. Henricus nu. 3. idem Cardin. clem. fin. nu. 9. q. 3. de elec. & ibi Imola nu. 2. Guillel. de Mõre Lauduno. n. 3. Ioan. Lupus. l. 43. Tauri nu. 1. Nauar. apologia ad lib. de reddendis. q. 3. monit. 8. nu. 1. 2. & 3. & c. placuit nu. 166. de pœnit. d. 6. Gaeta. c. ad limina. 30. q. 1. §. 5. q. 106. nu. 312. Perez lib. 2. Ordinar. tit. 2. l. 2. paulo post princip. Salzedo addit. ad practicam Bernardi Diaz. c. 26. col. 17. verb. non tamẽ poterit Episcopi superior. Gutierrez. q. can. lib. 2. c. 17. n. 7. Henriquez lib. 7. de indulgentijs. c. 21. n. 6. Sayro tract. de pœnitentia. c. 22. ff. & thesauro casuum. r. tomo, lib. 7. c. 14. n. 7. Grassis. 1. p. decisio. lib. 4. c. 2. n. 28.

& explicant. Abbas, & Gaeta, et si absque causa cognitione data sit hæc licentia.

79 Sexto deducitur, quid dicendum sit de dispensandi facultate. Existimant aliqui eam expirare morte concedentis re integra. Et potest probari, quia est potestas delegata ad iurisdictionem exercendam. Ita Speculator tit. de dispensatione. §. dicẽdũ restat. n. 19. vers. quid si is. Archid. c. dudũ. 1. 8. q. 2. n. 5. & ibi Bellemera. n. r. vers. præterea quaeritur, Felin. c. licet vndiq; in initio, de off. del.

80 At tenendũ est, eam potestatem nõ expirare, quando conceditur ad dispensandũ cum personis incertis, & indeterminatis. Quia cum tunc in gratiam ipsius dispensaturi cõcessa sit, est gratia facta. Vt in simili de potestate conferendi beneficia personis incertis deciditur. cap. si cui nulla, de præbend. in 6. Item, quia cum sit potestas ad iurisdictionem nõ contentiosam exercendam, minimè est inter mandata iurisdictionis computanda, sed inter gratias factas. Quæ morte concedentis re integra non expirat. Vt in simili dixi nu. 72. Et ita tenent Federicus consil. 78. Ioann. Andr. addit. ad Speculat. tit. de dispensatione. §. dicendum restat. nu. 19. verb. ergo tu distingue. & cap. ex tua. num. 8. de filijs presbytri vbi Anton. num. 7. Abbas nu. 4. Bellemera ad finem. vers. & adhuc primo casu: & cap. licet vndique. num. 11. & 17. de offic. deleg. vbi Henricus num. 4. Decius cap. re latum, in noua editione. num. 22. eodẽ tit. Felin. cap. pastoralis. §. quoniam. nu. 2. vers. sic. & intelligunt isti, de rescript. Gamba de autoritate legati, lib. 10. num. 191. Angelus verb. gratia. nume. 2. & ibi Rosella. num. 1. Syluest. quaest. 2. Tabiena quaest. 5. num. 6. Armilla nu. 5. idem Angelus. verb. dispensatio. num. 13. & ibi Syluest. quaest. 6. nu. 11. Nauarr. lib. 5. consil. in 1. editione tit. de privilegijs, consil. num. 1. in 2. lib. 1. tit. de offic. deleg. cõf. 2. nu. 1. & summa Latina. c. 27. nu. 23. vers. 9. Antoni. Gabriel tomo 3. cõmunium opin. lib. 6. tit. de præbend. concl. r. nu. 6. 7. & 8. Emmanuel Sa summa. verb. dispensatio. nu. 6.

81 Atq; idem dicendum est, quando ea facultas concederetur alicui ad dispensandũ cum persona determinata, quoties non in fauorem solius personæ eũ qua dispensandũ est, sed in fauorem ipsius dispensantis, aut vtriusq; simul, concessa esset: tunc enim non expirat morte concedentis, aut amotione eius ab officio, etiã re integra. Quia in hoc euentu est iam gratia facta: cum sit

Ttt 2 in

in ipsius dispensantis fauorem, & respectu ipsius iam totam suam perfectionem habet. Hoc docent in simili allegato Lupo Dominicus, c. si cui nulla. nu. 7. vers. quid si Papa in forma, de prabend. in 6. & ibi Francus nu. 3. notabili vltimo, vbi docet potestatem conferendi beneficium personae expressae, & determinatae, non in fauorem ipsius, sed in fauorem conferentis, vel Ecclesiae, non expirare morte concedentis re integra. Et colligitur clarè ex eo textu, à contrario sensu, ibi: *Secus si super provisione certa persona faciendâ, non ob suam, sed eius, cui prouideri mandatur, gratiam, vel fauorem: illa quidem expirat omnino, si concedens re integra moriatur.* Ergo secus est, quando ob suam, nempe, conferentis beneficium, gratiam datur. Atque idè dicit vterque cum Lupo, si in fauore vtriusque, nimirum, conferentis, & recipientis beneficium, vel in fauorem solius Ecclesiae, cui beneficiarius ille praesse debet, vel Ecclesiae, & recipientis beneficium, ea potestas daretur. Quia textus ille solum excepit, quando in gratiam recipientis collata est ea potestas. Et hoc voluerat significare Io. Andr. Anton. Abb. Belleme. nu. pr. reced. allegati, dum dicentes facultatem dispensandi non expirare, addunt maximè cum personis indeterminatis. Quasi dicat idem esse in aliquo casu, quando est cù personis determinatis, nimirum, quando non conceditur in solum ipsarum fauorem. Nā quando in ipsarum solum fauorem conceditur, tenent ibi expirare morte concedentis re integra. De qua re dicemus num. 89. vbi explicabimus qualiter intelligatur: & ostendimus hoc idem sentire Angelum, Rosellam, Syluestrum, & Tabienam.

Septimò deducitur, quid dicendum sit de facultate testandi concessa Episcopis, monachis, vel alijs, quibus testari interdicitur. Quibusdam placet eam facultatem expirare obitu concedentis. Quòd sit facultas ad actum odiosum, ac iuri communi repugnantem. Sic Socius iuni. consil. 89. nu. 33. & seqq. volum. 1. Couarr. c. cum in officijs, in 2. editione. num. 8. de testam. Ceterim absque dubio reuendum est non expirare. Quia est gratia facta, quam non expirare probauit. n. 64. Nec obstat id odij habere quod iuri communi aduersetur. Quippe omnis dispensatio id habet: quā tamen cum omnino facta est, non expirare concedentis morte fatetur omnes. Secundo, quia cum testamentum non habeat, nisi post testantis mortem, illi cui testandi licentia

concessa est, imputari nequit, concedente superstitè eum testatum non esse: siquidem longiorem vitam adeptus est, quam is, qui facultatem concessit: & ea facultas pro tempore mortis, à quo debet testamentum habere, deseruit potissimum. Et idèd huius sententiae sunt Couarr. mutata sententia eod. cap. cum in officijs, in 2. editione. num. 8. sine Nauarr. apologia ad librum de redditibus, quaest. 3. monito. 8. Sarmiento de redditibus. p. 4. cap. 4. nu. 2. Burlatus cōsil. 30. num. 1. & seqq. & nu. 54. volum. 1. & consil. 178. num. 1. volum. 2. Gutierrez. practicus, lib. 2. q. 75. num. 1. & seqq. Barbosa. l. diuortio. 8. §. quod in anno. nu. 20. f. solu. matrim. Azebedo lib. 5. Recopil. tit. 7. l. 2. nu. 5. & ex Theologis, Henriquez lib. 7. de indulgent. c. 21. nu. 6. Molina tomo 1. de iustitia, tract. 2. disp. 14. ad fin. Manuel. q. regular. tomo 3. q. 69. art. 6. An verò hoc verum sit, si ante literas expeditas, quibus haec facultas conceditur, obeat concedens, dicemus disput. sequenti.

Octauò deducitur, literas dimissorias ad ordines suscipiendos, quas vulgò reperit eas, concedentis. Quia cum continent licentiam promouendo concessam, vel ad ordines promouentur, sunt gratia facta. Atque ita docent Cardin. Clementina fin. num. 9. q. 5. de elec. & ibi Imola. nu. 3. Guillelm. de Monte Lauduno nu. 3. Bonifacii. nu. 43. q. 10. Rebuffus praxi benef. in formula litterarum dimissorias. num. 43. Roland. consil. 38. num. 5. volum. 5. Villadiego tractatu de legato. q. 16. num. 25. Pauinus de potestate capitali. l. p. nu. 9. Nauarr. lib. 1. consil. in 2. editione. tit. de rescript. consil. 5. num. vnico, & cap. placuit. nu. 35. & 163. de poenit. d. 6. & apologia ad librum de reddit. q. 3. monito 8. nu. 2. & §. in Leuiticis, notabili 3. l. nu. 26. Perez lib. 2. Ordinarum. tit. 2. l. 2. paulò post principium. Sazcedo addition. ad praedictam Bernardi Diaz. cap. 26. col. 17. vers. non tamen poterit. Episcopi superior. Gutierrez. q. practica. lib. 2. q. 75. num. 3. & q. canon. lib. 2. c. 17. num. 2. Et ex Theologis, Henriquez lib. 7. de indulgent. c. 21. nu. 6. & lib. 10. de Sacram. ordinis. cap. 22. sine Suarez de poenitentia disput. 27. sectione 4. dubio 3. nu. 8. Sayra tractatu de poenitentia. c. 22. nu. 3. Etmann. Sa summa. verb. dimissoria. nu. 1. Petrus de Ledesma summa Sacram. vbi de Sacram. ordinis. c. 8. difficultate 1. col. 6. conclus. 4. Manuel. 2. tomo summae. c. 14. nu. 5. conclus.

Atque idem dicendum est, finita Episcopii potestate, vt si ad alium Episcopatum transferatur. Nam eadem prorsus est ratio. Cum non minùs pereat potestas morte illius, quam depositione illius Episcopatus. Sic Nauarr. consil. 5. num. vnico, Henriquez d. c. 22. sine. Et idem dicendum est de literis dimissorijs concessis à capitulo Sede vacante, quando eas concedere valet. Non enim expirat finita capituli potestate per noui Episcopi aduentum. Quia eadem prorsus militat ratio. Sic Rebuffus, Salzedo, Petrus de Ledesma, Manuel proximè allegati, Gutierrez. q. canon. lib. 2. c. 17. num. 2. Et tandem ob eadem rationem dicendum est, idem de literis his dimissorijs concessis à Vicario Episcopi eas concedentis, quòd Episcopum in remotis sit iuxta cap. 6. de tempor. ordin. in 6. vel de special. Episcopi commissione: & de dimissorijs concessis à superioribus religionis, & à quibusvis alijs potentibus concedere. Haec enim nec morte, nec depositione Vicarij, vel Superioris, nec aduentu Episcopi, qui in remotis erat, expirant. Quia militat eadem ratio, quòd haec continent gratiam factam à potenti concedere. Nonò deducitur, quauis gratia concessa à Legato Pontificis, vel Vicario Episcopi, ad beneplacitum personae, vel dignitatis, expirare morte, vel finito officio concedentis (vt dixi num. 59.) eas tamen non expirare, quando simpliciter, & absolute conceduntur. Quia sunt gratiae factae, & absque temporis limitatione. Sic Francus cap. si gratiose. nu. 13. de rescript. in 6.

Vltimò deducitur, licentias omnes concessas à superioribus quibuscumque, quòd non ad certum, & limitatum vsum temporaneum, vel ad certum tempus, sed absolute concessae sunt, esse perpetuas, donec ab eodem concedente, aut eius successore, aut superiore reuocentur. Quia sunt gratiae factae. Sic Abbas cap. finali. num. 9. de off. legati. Cardin. clem. finali. num. 9. q. 5. de elec. & ibi Guillelmus de Monte Lauduno. nu. 22. Imola nu. 2. Angelus. verb. indulgentia. num. 7. & ibi Syluest. q. 5. dist. 7. num. 16. Nauarr. §. in Leuiticum, notabili 31. num. 27. Corduba in questionario, lib. 5. q. 36. paulò post principi. Grassi. l. p. decisio. lib. 4. c. 2. nu. 28. Temperant hoc Abbas, Angelus, Syluest. Corduba, nisi licentia illa alteri prauidicent. Quòd dicunt proprie licentias eligendi cōfessorij, & non rescripti, quas concessas ab inferiori pralato

ab ipso causa cognitione dicitur perire morte concedentis. Quòd prauidicet Ecclesiae parochiali, & illi in qua est residendus. Sed haec limitationem reiciimus. nu. 72. & 78.

S V M M A R I V M.

Ampedimentis, alijsve rebus facta ordinatio, vel confessio, expirat morte concedentis. Refertur opinio. num. 86.

Explicatur sententia Anthonij num. 37.

An licita Pontificia per quos committitur cessatio, & assignatio personis, & licite gratiae, siue pura, siue in forma conditionali, vel privationis, siue in forma dignum, & vnicum, expirat morte. Papae num. 88.

An potest dispensandi cū personis determinatis in illius fauore, expirat morte concedentis. 89.

Quòd committitur aliquid erga determinatam personam, an in dubio censetur commissio in fauorem illius, an in fauorem delegati. nu. 90.

An postquam iam dispensatio eius est, si eum quo dispensatum est, pereat dispensatio, superuenienti dispensante obicit. num. 91.

Legatus vel poenitentiarj officium, & dispensationes ab eis concessae, an morte Pontificis expirant. num. 92.

An privilegia bulla Cunctis expirant morte Papae. num. 93.

Rediguntur in summam contenta in tota dispensatione. num. 94.

Satis argumentis. num. 95.

Valtio vltima. An commissio dispensandi in impedimentis matrimonij, alijsve rebus, quae in foro externo ordinarij committuntur, in interno autem confessoribus, expirat concedentis morte re integra. Quidam eas expirare affirmant. Ductuntur ex cap. si cui nulla, de prab. in 6. ibi: *Secus si super provisione certa persona faciendâ, sit data potestas eidem, non ob suam, sed eius, cui prouideri mandatur, gratiam, vel fauorem: illa quidem expirat omnino, si concedens re integra moriatur.* Vbi Glossa. verb. moriatur. Archid. ibi. nu. vnico. vers. obitum. Ancharr. nu. 2. notabili 2. Ripa rubrica de constit. n. 50. & ibi. Riminald. nu. 129. fin. & 130. inde colligunt quòd do Pontifex non facit gratiam, sed fieri mandatur, expirare id mandatum morte Papae re integra. Atque Baldus l. finali, in prima lectura. num. 3. vers. sed pone Princeps. ff. de constit. Princip. Decius. cap. relatum, in noua editione num. 21. de offic. deleg. & rubrica de constitut. in 1. lectura num. 4. colligitur ex eodem cap. si cui nulla, commissioem aliquid expirandi in fauorem

certa personæ expirare morte conceditis re integra. Cùm ergo Pontifex, & penitentiarius non dispensent, sed committant ordinario, & confessori, vt dispensent cogita precum veritate, peribit commissio morte committentis re integra. Et confirmatur, quia hanc rem tanquam notam tradunt Ioan. Andr. addit. ad Speculatore tit. de dispensatione. §. dicendum restat num. 19. vers. ergo tu distingues, & c. ex tua nu. 8. de sili. presbyt. & sibi Anton. nu. 7. Abbi. num. 4. Bellemera ad finem vers. & adhuc primo casu. Felinus cap. pastoralis. §. quoniam nu. 2. verb. & intelligunt isti, de rescript. idem Bellemera cap. licet vndiq. nu. 11. & 17. de offic. deleg. & ibi Henricus nu. num. 4. Decius. d. cap. relatum nu. 22. Antonius Gabriel. 3. tomo communium opinionum, lib. 6. tit. de præbendis, conclusio ne 1. num. 6. 7. & 8. Syluest. verb. gratia. q. 2. num. 3. sine, & ibi Angelus num. 2. Rosella num. 1. Tabiena. q. 5. num. 6. vbi dicunt facultatem dispensandi cum personis determinatis, per viam commissiois factam expirare morte concedentis re integra. Quod acquiritur intelligi, nisi quando in fauorem illarum personarum eam quibus est dispensandum, sit commissio. Nam quando cum personis indeterminatis, quia tunc est in fauorem dispensandi, omnes illi fatentur non expirare. Cùm ergo in hoc euentu committatur ordinario, & confessori, vt dispensent eum persona determinata in eius fauorem, peribit hæc commissio morte concedentis re integra. Secundo, quia hæc commissioes non dantur nomine dignitatis Pontificis, sed nomine personæ (vt probatur num. 46.) Atque adeo ex hac parte non obtinebunt durationem post concedentis obitum. Tertio, ex quadam Rotæ decisione, quam referunt, & sequitur Dominicus. c. si super gratia num. 7. vers. sed pone, de offic. deleg. in 6. & ibi Francus num. 4. ac relatis Cardinali, Lafone, ac Felino, Antonius Gabriel tomo 3. communium opin. lib. 6. tit. de præbendis, conclusio ne 1. nu. 13. 14. & 15. quæ decidit si Pontifex in suis litteris mader euidam executori vt vocatis vocandis, si est ita vt partes referunt, cõseruandam beneficium, id mandatum expirare morte Pontificis re integra. Quod quidem in his dispensationum commissioibus reperitur. Ergo primum concedentis obitu re integra. Et ideo hanc partem tulerunt Nauar. lib. consil. in 1. editio ne tit. de temporibus ordin. consil. 38. sine in 2. tit.

de filijs presbyt. consil. 3. sine, & summa Latina cap. 29. num. 253. vers. 9. Sayro in thesauro casuum, tomo 1. lib. 7. c. 14. num. 9. Et satis fauet huic sententiæ Gutierrez. q. canon. lib. 1. cap. 3. §. num. 2. vbi ait gratiam concessam per verbum, fiat, non expirare concedentis obitu: secus quando mandatur aliquid faciendum. **¶** At quantum hoc est valde probabile: probabilius reputo non expirare concedentis morte, etiam re integra. Ducor, quia (vt præclare tradunt Hieronymus Paulus, & Rebuffus statim allegandi,) quando in litteris gratiæ in alicuius fauorem concessis, minuter executorius est voluntarius, vt potest eum non præcipitur vt exequatur, sed sola exequendi facultas conceditur, non fauore ipsius, sed eius cui gratia est concedenda, tunc est gratia facienda: ac proinde expirat morte concedentis re integra. At quando est executor necessarius, vt potest, qui exequi iubetur, si preces veritate nititur, tunc est gratia facta, ac proinde non perit morte concedentis re integra. Ratio discriminis ea est. Quod in priori casu, ne minus questum sit per illas litteras. Non enim questum delegato executori: eod quod in eius fauorem concessisse non sint. Nec eum gratia facienda est. Quia soli delegati voluntati relinquuntur, vel ne dispensent, an non? Ac proinde ea gratia est omnino facienda, vt potest in quam nullum est affectus acquisitum. At in posteriori, est iam ius acquisitum ad rem illi in cuius fauorem gratia concessa est. Ac proinde dicitur facta respectu illius: ac sola eius exequutio desideratur, quæ per commissarium facienda est. Quod etiam clare colligitur ex cap. si cui nulla de præben. in 6. vbi explicans textus quando dicatur gratia facienda, ad eum finem, vt pereat morte concedentis re integra, sic ait: *secus si sit per provisionem etiam persona facienda data sit potestas eadem, non ob suam, sed eius cui prouideri mandatur, gratiam vel fauorem.* Vbi textus vsus est verbo, potestas, ad significandum eum commissarium vt sit gratia facienda, debere esse voluntarium, qui, scilicet, potestatem habeat, sed non præceptum exequendi. Nec obstant illa verba, *Mandatur prouideri.* Quia intelligitur, id est, committitur, vt conueniat cum verbo præcedenti potestas. Cùm igitur in his dispensationibus commissioibus non relinquatur voluntati ordinarij, vel confessoris, dispensationem concedere, aut denegare, sed ad ipsi præcipiatur

piatur,

piatur vt inuenta precum veritate dispensent, gratia hæc non erit facienda, sed facta: ac proinde non extinguetur concedentis morte. Et confirmatur, quia hac ratione omnes Doctores citati in doctrinis adductis num. præcedenti pro contraria sententiâ loquuntur, ac explicant vt sit gratia facienda, ac pereat morte concedentis re integra, quando datur potestas, aut commissio dispensandi, demptis Glossa, Ancharrano, Ripa, Riminaldo, quos ibi nu. 1. ratione retuli, qui vtuntur verbo, mandatum. Et amplius confirmatur, quia ea dispensatio quantum, est ex parte Pontificis, vel penitentiarij, iam plenè facta videtur in fauore petentis: & potius præcipitur commissario executori gratiæ iam factæ, si reperit preces veritate niti. Neque enim ipsi committitur substantia causæ, & an expediatur, sed an verificetur quedam conditio, qua stante iniustus esse denegans dispensationem. Et ideo pro hac sententiâ citantur, Rosella, Angelus, Sylu. Armilla, sed male. Quia non loquuntur in hoc casu (vt num. 89. videbimus.) Sed illam tenet Hieronymus Paulus in practica cancellariæ tit. declaratoria super proponente, seu vouente. §. præstatissime Doctor. Rebuffus in concordatis, vbi de mandatis apostolicis. §. 1. verb. sui pontificatus vers. licet quidam Doctores. Maior. lib. 5. de irregularitate cap. 51. num. 6. Suarez de censuris, disput. 41. sectione 2. sine. Hériquez lib. 7. de indulg. cap. 2. 1. num. 7. & lib. 12. de matrim. cap. 2. num. 5. & cap. 3. num. vltimo, vbi in commento, littera V. refert aliquos Doctores Salmantinos huius sententiæ: & libro 14. de irregular. cap. 17. num. vltimo. Emmanuel Sa summa verb. dispensatio nu. 6. & verb. gratia nu. 3. Petrus de Ledefina in summa Sacramentorum, vbi de matrim. cap. 27. vers. secunda conclusio in sine illius. Manuel. q. regularibus, tomo 2. q. 46. art. 7. & 1. tomo summe 2. editione cap. 236. num. 3. conclus. 3. Et eiusdem sententiæ aperte est Madosius regula cancellariæ 10. de annali postfore. q. 2. nu. 4. vbi ait esse rescriptum gratiosum quod per Pontificis mortem re integra non expirat, quoties exequatur in illis datus non debet præmittere indagine iudicarij. At in dispensatione, quæ pro conscientia foro committitur, manifestum est eam indaginem iudicariâ non desiderari. Et eam quoque non esse necessariâ in dispensatione pro foro externo concessa, ostendimus disput. 35. num. 15.

Ex his deducitur, non expirare morte Pontificis re integra literas Pontificias per quas committitur constitutio, & assignatio pensionis, nec litteras gratiæ, siue gratiæ fiat purgæ, siue in diem, siue conditionales, vel priuationis in forma iuris, cum provisione alteri faciendæ, siue in forma, dignum, & vnionum super dispensationibus. Quia communiter in his executor non est voluntarius, sed requisitus tenetur exequi. Ita Hieronymus Paulus num. præcedenti citatus.

Secundo deducitur, optimè dixisse Doctores quos num. 86. in confirmatione primæ rationis retuli, dum aiunt potestatem alicui concessam dispensandi cum personis determinatis, in solum earum fauorem, expirare re integra morte concedentis. Quod hic commissarius non sit minister necessarius, nec gratia sit in ipsius fauorem: & ita vbi sunt verbo, potestas, vt ministrum esse voluntarij significant. Quare dum Angelus verb. dispensatio num. 13. & verb. gratia num. 2. & ibi Rosella nu. 1. Sylu. verb. dispensatio. q. 9. num. 11. & verb. gratia. q. 2. & ibi Tabiena. q. 5. num. 6. Armilla nu. 5. dicunt facultatem alicui concessam ad dispensandum cum persona determinata non expirare morte concedentis re integra: sunt manifestè intelligendi, quando ea potestas est illi in suum fauorem concessa. Tunc enim cum sit gratia ipsi dispensatio facta, non expirat concedentis morte. Iuxta ea quæ num. 81. diximus. Non autem id intelligunt, quando ea gratia est in fauorem solius personæ cum qua dispensandum est. Et hanc esse veram eorum intelligentiâ, colligitur clarè ex eo quod pro sua sententiâ referunt Federicum consil. 78. qui ait non expirare facultatem dispensandi concessam in fauorem ipsius dispensandi. Præterea quia Rosella, Angelus, Syluester, Tabiena eodè verb. gratia, & eisdem numeris, cum in principio dixissent potestatem dispensandi cum persona determinata non expirare morte concedentis re integra, paulo inferius, docent potestatem dispensandi, non per viam gratiæ, sed commissiois factam perire re integra, imò etiam si ceptum sit cum aliquibus dispensari, perire quoad eas personas, cum quibus nondum ceptum est. Vnde sibi ipsi in eodem loco contradicerent, nisi priorem partem intelligant, vt ea potestas dispensandi quantum sit erga personam determinatam, sit gratia facta, nec pereat, quoties in fauorem dispensa-

Ttt 4 turi

90 tui concessa est: posteriorem autem, ut sit commissio, & pereat re integra: quoties in eorum fauorem cū quibus dispensandum est, conceditur. At non contradicunt nostræ sententiæ, sed sunt illi conformes. Quia loquuntur de potestate dispensandi, & sic de ministro voluntariè exequuturo.

90 Tria tamen obseruanda sunt. Primum est, quoties committitur alicui aliquid faciendum erga determinatam personam, censenda est in dubio commissio in illius personæ fauorem facta: ac proinde eam non esse gratiam factam, sed faciendam (intellige iuxta dicta num. 87. quando est gratiæ exequutor voluntarius.) Quare ex ijs, quæ præcesserunt coniectandum est, an sit gratia in fauorem petentis concessa: unde allegati esse gratiam factam in fauorem dispensaturi, & non commissionem gratiæ faciendæ in fauorem eius, cum quo dispensatur, incumbit probandi onus. Sic Ioann. Andr. cap. in causis. num. 38. de elec. & c. si cui nulla, statim in principio, de præben. in 6. & ibi Dominicus num. 6. Francus, n. 1.

91 Secundum est, siue dicamus commissiones has dispensandi esse gratias factas, siue faciendas, id necessariò fatendum est, si ià commissarius dispensat ad matrimonium, vel ordines: & antequàm is cum quo dispensatum est, utatur dispensatione, iniens matrimonium, vel recipiens ordines, dispensans obeat, dispensationem nõ perire. Tùm, quia res non erat tempore mortis integra. Tùm etiam, quia cum iam semel dispensatio sit legitime facta, non retrahatur ex superuenienti facto. Sic citato Federico Rosella, verb. gratia. num. 1. & ibi Angelus num. 2. Syluest. quæst. 2. Tabiena. q. 5. num. 6. Armilla nu. 5. idem Angelus. verb. dispensatio, sine, & ibi Syluest. q. 6. nu. 11.

92 Tertium est, dispensationes, quæ à legato Apostolico, vel à summo Papæ penitentiario expediuntur, nullatenus expirant morte Papæ re integra: quanuis dicamus eas esse gratias faciendas. Quod neutrum officium expirat morte Papæ re integra. Vt de officio legati deciditur expressè. c. legatos, de offic. legati. in 6. & idem deciditur de officio penitentiarii, in Clem. 2. §. eo tamen prouiso, de elect. An verò expirant morte penitentiarii, vel legati re integra? Diximus num. 87.

93 Vltimò deducitur, quid dicendum sit de privilegijs in bulla Cruciatæ concessis, an expirant morte Papæ concedentis re integra? Et quidem nemini dubium est, indul-

gentias ibi concessas visitantibus altaria, & facultates edendi iacintia, & similes à nullius executione pendentes, minimè expirare. Quòd illa omnia continent gratiam factam. At dubium esse poterit de indulgentijs semel in vita, & semel in mortis articulo per confessarium concedentis, ac absolute à reseruationis, votorumque commutatione per ipsum præfatis. Quia cum hæc videantur continere gratiam faciendam, ut potè quæ à confessarij executione pendit, videtur dicendum ea perire morte concedentis re integra. Aliqui neoterici ea non perire tuerentur, ducti hac ratione. Quia gratia faciendæ non perit concedentis morte, quando est gratiæ iam factæ accessoria. (vt num. 43. diximus.) At bulla principaliter conceditur ad indulgentias, & privilegia: quæ sunt gratiæ factæ. Et accessoria est iurisdicctio confessori data. At hæc ratio displicet. Quippe nequid dicitur accessoria gratiæ ea confessoris potestas. Tunc enim (vt eo. num. 43. explicauimus) dicitur potestas exequutoris accessoria gratiæ, quando datur ad exequendum gratiam iam factam. Vt constat ex cap. si super gratia, de offic. deleg. in 6. At confessarius non debet exequi gratiam iam factam: sed ipse debet eam concedere absolute à reseruationis, commutando vota, & concedendo duplicem illam indulgentiam. Quare defendendum est, eas facultates nõ perire. Quia non directè conceduntur confessario, sed ipsi penitenti, qui eligat confessarium, ut hæc exequatur. Vnde continent gratiam factam ipsi penitenti. (Sicut num. 75. diximus de licentia eligendi confessarij.) Atque proinde omnia illa sunt gratiæ factæ ipsi penitenti. Præterea, quia esto gratia fieret directè confessori in fauorem penitentis: confessori tamen non est minister voluntarius, sed necessarius: teneatur enim electus virtute bullæ concedere penitentem postulantem omnia illa, quæ bulla indulget. Vt bene docent Stronica de voto. quæst. 5. num. 38. Aragon. 2. 2. quæst. 88. artic. 12. fol. 104. Vivaldus candelabro Sacramentorum. 2. par. cap. 14. num. 58. Et ratio est, quia est iudex delegatus in fauorem penitentis petentis ius, quod ex privilegio habet. Cum ergo confessarius sit exequutor necessarius: ea omnes gratiæ censentur iam factæ: iuxta dicta nu. 87. Tadem, quia bulla ipsa præscribit annum, quo duret. At etiam gratia ad beneplacitum concedentis, quæ morte ipsius expirare

debe-

debebat, non expirat ante tempus in ea præscriptum. (vt dixi num. 51.) Et ita hac ratione hoc defendit Henriquez lib. 7. de indulg. cap. 21. num. 4. sine.

94 Tandem vt in compendium redigã, quæ in tota hac disputatione fusiùs dicta sunt: sic distinguendum est. Aut literæ sunt iustitiæ, & tunc pereunt morte concedentis re integra, secus si res non sit integra. Dicitur autem res non integra, quando iudex legitime iussit partes citari. Aut literæ sũt gratiæ, & tunc sic distinguendum est. Aut ea gratia eum limitatione conceditur: aut absolute. Si cum limitatione, aut ad beneplacitum, & voluntatem personæ concedentis, & tunc cessat concedentis morte, quanuis res non sit integra: secus si concedens dicat, donec reuocauero, vel talem re fecero, si enim ante mortem non reuocet concedens, vel non faciat illam rem, gratia est perpetua. Atque eadem perpetuitate gaudebit, si ad beneplacitum Sedis concessa sit. Quòd si absolute concedatur gratia, aut est facta: quia, nempe, respectu eius in cuius fauorem conceditur, à nullius executione pendet, aut pendet ab executione commissarij necessarij, ut potè cui imponitur præceptum exequendi, vt cõtingit in dispensationibus matrimonialibus, & nõ perit gratia morte concedentis, quantumuis res sit integra. Aut est gratia faciendæ, quæ,

(scilicet, respectu eius, cui sit non est perfecta) concessa, sed pendet ab executione commissarij voluntarij, ut potè cui nõ præcipitur exequi, sed sola executione gratiæ licentia datur, & perit morte concedentis re integra: secus re non integra. Dicitur autem res non integra in his rebus, in quibus non est citatio partis, & quo commissarius primum actum exercere cepit correspondentem citationi partis in iurisdictione contentiosa. Vt si cepit vocare partem, ad cognoscendum de precè veritate.

Ad argumenta num. 86. proposita respondetur. Ad primum constat ex dictis num. 87. vbi probauimus eum textum non intelligi de mandato obligante, sed de licentia: & reprobauimus cõtrarium tenentes. Ad confirm. constat ex dictis num. 89. vbi eam doctrinam approbauimus, & ostendimus esse conformem nostræ sententiæ. Ad secundũ dic nos non asserere has dispensationes esse perpetuas ratione modi concedendi ex parte dantis. Nam sic deberet finire morte, ut potè nomine personæ concessæ. Sed asserimus eas esse perpetuas, quia sunt gratiæ factæ, & absque temporis limitatione. In quo casu perpetuæ sunt, quanuis nomine personæ concedatur. Ad vltimum dic eam esse iurisdictionem contentiosam inter partes: & idè cessare mortem concedentis re integra.

DISPVT. VIGESIMANONA.

An dispensationes, & ceteræ gratiarum literæ expirant, si nondum literis expeditis obeat concedens: atque ad sui valorem scriptura indigeant?

SVMMARIVM.

Proponuntur probantia exigis scripturam ad valorem gratiæ. num. 1.

Non est necessaria scriptura ad substantiã gratiæ. num. 2.

Nec expirat mortuo Pontifice ante literas expeditas. num. 3.

Fas est in foro conscientie ea vti, ante expeditas literas. num. 4.

An possit solui, & recipi pensio literis non expeditis. num. 5.

An gratia habens annexam iurisdictionem, valeat, nec expirat ob concedentis mortem ante literas concessas? num. 6.

Quid, si illa gratia esset ad aliquid faciendum, vt ad restandum, an ante literas expeditas

moriente concedente expirat? num. 7.

An ad probationem gratiæ semper exigatur scriptura? num. 8.

An dispensatio suffragetur in foro externo literis non expeditis: & quando expediuntur, suffragentur ex tunc, an potius à tempore concessione: licet capto iam iudicio literæ impetrentur? num. 9.

An literæ concedentes iurisdictionem iudici exigantur ante iudicij initium, vt id valeat? num. 10.

Soluuntur argumenta. num. 11.

ET Quidem videtur necessaria scriptura ad gratiæ valorem. Quòd per literarum expeditionem detur forma, & sua perfectio gratiæ: at que

adèd